



† R. P. Thomas Robinson (1872-1953)

(Prov. Austral.)

Luget Provincia Australasiae confratrem carissimum octogesimo primo aetatis suae anno mortuum; luget quidem sicut lugetur thesaurus abreptus, sed consolatione abundat, immo demisse gloriatur de genuino Redemptorista et viro verae sanctitatis ad aulam caelestem Alfonsianam translato, qui dignus nobis visus est cuius memoria in Analectis posteritati mandetur. In Divinae Providentiae consiliis, post vitam apostolicam in tot tamque dissitis mundi regionibus actam, mortem obiit apud Perth in Australia occidentali, ubi etiam quattuor et quiquaginta

annis antea sacerdos saecularis ministerium suum inceperat.

Natus in illa insula sanctorum Hibernia e familia decem liberorum, studiis ecclesiasticis in celeberrimo seminario Maynutiensi peractis, ibi die 18 Iunii 1899, titulo suae dioecesis natalis sacerdotio est auctus. Tunc temporis in eodem seminario clarissimus Archiepiscopus Melbournensis, Exc.mus Daniel Mannix munus suum inlyti professoris inchoabat, inter quem et iuvenem levitam incepta est illa amicitia tam diutina, et nuntiata confratris nostri morte primus omnium nonagenarius archiepiscopus via telegraphica nostrum dolorem his verbis sit consolatus: « Penitus doleo amicum diu mihi carum mortuum ».

Paulo ante eius ordinationem sacerdotalem res quaedam evenit qua totus suae vitae cursus sit aliter deflexus; accidit enim ut illo anno episcopus Perthenensis, Exc.mus M. Gibney in Hibernia moraretur quaerens missionarios pro sua longinqua et derelicta dioecesi. Alloquens studentes apud Maynooth verbis usus est quorum numquam Thomas Robinson oblivisci posset: « Nil vobis offero nisi vitam arduam et pauperem et difficultatibus plenam; sed animarum derelictio in mea dioecesi est extrema ». Quibus verbis inflammatus iuvenis athleta Christi, etsi tum minime cogitabat de habitu Redemptoristarum sibi induendo, spiritu tamen vere Alfonsiano animas derelictas inhiando, sine mora missioni tam difficili libentissime se obtulit. Ordinarius proprius primum excardinationem concedere volebat, sed tantum permisit, ut septem annos pro mutuo in Australia maneret; quibus tamen annis peractis urgenti petitioni tandem cessit.

Eodem anno 1899, cum ad Australiam pervenisset, licet adhuc tiro, nominatus est tamen post aliquod menses administrator novae paroeciae Kalgooriensis quo, pretioso metallo nuper invento, « auri sacra fames » ingentem hominum multitudinem attraxerat. Ibi in silvis Australianis, urbs enim Perthensis plus quam quadringentis millibus passuum distat, tredecim annos indefesse laborabat. Quorum laborum « si monumentum quaeris, circumspice ». . . ecclesiam pulcherrimam et scholas pro pueris et puellis eius cura aedificatas. Sed monumentum aere perennius in cordibus fidelium, immo et acatholicorum per illos annos sibi exstruxit. Omnia omnibus factus corda omnium attrahebat ita ut contemporanei sacerdotes dicere sueverint: « Pater Robinson a populo adoratur ». Benemeritos honores invitatus accepit: primo Canonicus ab episcopo parum quidem canonicè est declaratus, et hoc titulo usque ad finem omnes familiariter et amanter usi sunt, et semper et ubique « *Canon* » Robinson, vel simpliciter « *the Canon* », vocatus est. Deinde Decanus factus, tandem a Sancto Patre Pio X Praelatus Domesticus est nominatus. De hoc autem titulo honoris ne mentionem quidem umquam fecit, ita ut nec confratres nec sacerdotes dioecani quid de hac re pro certo haberent, donec post mortem in eius scrinio tamquam inter reliquias Beati Pii X documentum authenticum est inventum, in quo Beatus Pontifex eum sic allocutus est: « honorificentissimam de te accepimus sententiam quod moribus integerrimus et apostolico zelo flagrans Antistiti tuo alacriter adfueris in dioecesi ista ex angustiis liberanda in quibus versabatur ».

Hoc fere tempore occasione missionis a nostris apud Kalgoorlie praedicatae primum germen vocationis alfonsianae in eius corde satum est, et praesertim, ut saepe nobis narravit, per sanctam Missam tam devote et ferventer celebratam a Patre Alberto Kelly, qui inter insignes nostrae Provinciae missionarios numerabatur. Haud mora voci divinae obediens, licentia non sine difficultate ab episcopo accepta, qui tum temporis et ipse Redemptorista erat, Exc.mus Patricius Clune, una cum alio sacerdote et amico eiusdem dioecesis Perthensis nostram Congregationem ingredi constituit. Facta prius pia peregrinatione ad Terram Sanctam et Romam, ambo in patriam reversi novitiatum ingressi sunt apud Dundalk in Hibernia, ubi tirocinio peracto vota emiserunt festo Immaculae Conceptionis anni 1915.

Post studia Alfonsiana expleta et facta secunda probatione Pater Robinson statim nominatus est Director celeberrimae Archiconfraternitatis Sacrae Familiae apud Limerick in Hibernia, quae tunc septem milia sodalium adscripta habebat. Tempora erant difficillima, at Director prudentissimus caritate universali Christi inflammatus inter angustias discordiae civilis animos omnium mirifice componebat, modo quo, uti a pluribus dictum est, nemo alius in tota Hibernia facere potuisset.

Deinde decreverunt Superiores ut ad pristinum suum campum apostolicum in Australiam reverteretur, quae regio adhuc tunc erat sub ditione Provinciae

Hibernicae et nedum statu quidem Vice-Provinciae fruebatur. Ibi manebat usque ad mortem, plus quam triginta annos laborans in Australia et Nova Zelandia in missionibus exercitiisque spiritualibus praedicandis. Duodecim annos muneris Rectoris localis fungebatur et apud Perth in nostra ecclesia duas confraternitates ferventissimas instituit, aliam Sacrae Familiae aliam B. V. Mariae de Perpetuo Succursu, erga quam Sanctissimam Virginem tenerrima semper devotione afficiebatur.

Hos septem annos vitae suae nostrae Communitati Perthensi exemplum omnium virtutum praebebat, adeo ut vel minimam imperfectionem in eo discernere vix potuerimus et nobis visus sit Redemptorista ordinarius extraordinarie perfectus. Dictu difficile est quanto in honore ab omnibus haberetur non solum a confratribus sed etiam a sacerdotibus, religiosis, laicis. Mille et quingentas chartulas memoriales imprimendas curavimus, sed minime fidelium devotioni sufficiebant. Sibi austerus aliis vero semper humilis, mitis, hilaris, affabilis, caritate plenus, nunquam non occupatus sive confessiones audiendo sive pauperes aut negligentes visitando, vel minimam regularis observantiae relaxationem sibi abhorrens, voce universi populi canonizatus est. Revera eius caritas et misericordia causae erant cur fatali paralisi ictus tandem obiret. Nuntio accepto de nonagenario quodam acatholico qui in egestate et miseria esset, Pater Robinson, licet hominem non novisset, eum tamen quaesivit multas horas urbem pedibus peragrando. Inventum tandem in domum caritatis Sororum Parvularum Pauperum recipiendum curavit. Paucis post diebus pauper ille homo baptismo petito in sinu verae Ecclesiae mortuus est; interim autem ipse eius benefactor in nosocomium Sororum Sancti Joannis a Deo moribundus est translatus. Ibi aliquot post hebdomadas a fratribus circumdatus, continuis Sororum rosariis adiutus, sacramentis morientium munitus pie et placidissime in Domino obdormivit, die 13 Augusti 1953.

Missam sollemnem de Requie cantavit Episcopus Auxiliaris, praesente ipso Archiepiscopo Perthensi cum magno coetu sacerdotum et religiosarum et fidelium. Missae ministri congruenter delecti sunt, quippe quos multis annis antea Pater Robinson apud Kalgoorlie baptizasset.

Etiam post mortem bonus odor eius vitae exemplaris adhuc bonum operatur. Vir quidam catholicus, qui matrimonium extra Ecclesiam attentaverat, per plures annos matrimonii, convalidationem quaesiverat, sed frustra, quia mulier omnino nolebat, immo Ecclesiae catholicae inimicissimam se praebebat. Paucis diebus post obitum Patris nostri invisebat illa familiam acatholicam quae defunctum sacerdotem bene noverat. Nil nisi de Patre Robinson eiusque virtutibus loquebantur. Domum reversa mulier attonito viro dixit: « Velim me ducas ad monasterium ubi habitavit Pater Robinson; volo catholica fieri! ». Hic videmus virtutem profundissimam eius vitae, bonum et modestum exemplum vitae vere sacerdotalis, absconditae quidem in Christo sed mundo semper radiis coruscanti-

bus fulgentis. Revera dicere possumus: « Mortuus, adhuc loquitur ». Gratias deinde Deo agentes precamur verbis Spiritus Sancti: « Moriatur anima mea morte iustorum et fiant novissima mea horum similia ». R.I.P.

PATRICK TALTY
